



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 54. Lex de pace Germaniæ

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Coloniensis pro jure sibi competente Regem corona Caroli Magni insignivit. Postulabatur etiam ad firmandam hanc electionem Innocentii summi Pontificis consensus, qui electionem, cum de Maximiliani obsequio abunde certus esset, ratam habuit, datisque ad eum festivis literis dignitatem gratulatus est. Alia etiam epistola Pontifex Friderico Imperatori ingentem testatus est animi sui lætitiā, ex fausto conceptam nuncio, quod in Filio suo tam dignum sibi successorem nactus esset.

Secul. XV.  
A. C. 1486.

§. LIV.

*Lex de pace Germanicæ.*

Post hæc Fridericus, & Maximilianus, Electoribus, atque Imperii ordinibus communi voto suffragantibus, legem tuere de tuenda pace publica, quam per universum Imperium solidos tres annos inviolabili fide servandam sanxerunt. Eo consilio ad omnes suos subditos de colenda tranquillitate mandata dederunt, pacisque violatoribus, cujuscunque status ac conditionis forent, si non legibus, sed ferro, ac privata vindicta jus quærere præsumerent, poenam proscriptionis a toto Imperio intendarunt, declarantes, eidem supplicio obnoxios fore, qui consilio vel opera ad violandam pacem

*Novcler. to. 3  
general. 50.  
p. 503.*

*Hist. Eccles. Tom. XXX.*

X con-

Sæcul. XV.  
A C. 1486.

concurrerent. Hæc lex a compluribus acceptata, ab aliis neglecta fuit: ex illis vero, qui eidem non solum consensu suo suffragati sunt, sed etiam illam sanctissime observarunt, eminuere Sueviæ populi, qui foederibus pacis inter se sancitis adeo terribiles suis vicinis effecti sunt, ut plures Imperii urbes, ac præpotentes etiam Principes sese illis adungere contenderent; unde ortum est nomen *foederis Suevici*, de quo apud Germaniæ Historicos frequens, eaque perhonorifica mentio occurrit.

§. LV.

*Acres literæ Maximiliani ad Galliarum Regem.*

Peractis coronationis solemnibus Maximilianus in Flandriam profectus est, & Brugas veniens epistolam oppido acerbam, ac indignatione plenam ad Carolum VIII. perscripsit, nec famæ Bellojoviensis Comitissæ, ejusque Mariti percipit. (\*) Contendebat, Gallos viola-

(\*) *Krantzius Saxo. lib. 13. cap. 2. testatur, Maximilianum prius a Gallis lacessitum fuisse, eosque illi misisse literas valde aculeatas, quibus ipsum hoc scommate pupugerunt, quod se Regem*